



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

51. An Capitulum Sede vacante possit facere collationem beneficiorum
necessariam ut quando, v.g. collatio est debita certis personis? Ex p. 8. tr.
4. res. 26.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

Et ratio horum omnium est, quia collatio beneficiorum est veluti quedam donatio saltem ex ea potest, quia in potestate Episcopi est, potius huic quam alteri illa conferre, ac ea beneficiorum collatio pertinet quasi ad fructus, & emolumenta Episcopatus, ut ait gloss. in *cap. cum olim, de maior. & obedient. de elec. id ius non transit in Capitulum, Sede Vacante, sed ad Pontificem spectat ea conferre. Et hoc verum est, quamvis beneficium, viuentis Episcopo, in mente ipsius vacauerit, si tamen mortuus sit antequam illud conferret.*

4. Nota tamen primo, quod quamuis Capitulum non possit conferre beneficia vacantia, potest tamen in illis praefigere eorum nomina, ut in eis administrat, donec fuerit per Superiorem prouisum, *cap. cum vos, de elec. ord. vbi Panorm. Gemin. cap. vnic. de maior. & obed. lib. 6. Panvinus loc. cit. quest. 3. Rebuffus in prin. tit. de deuolut. num. 77. quod rationibus comprobatur Felin. in cap. cum olim, numer. 6. de maior. & obed.*

5. Nota secundo, supradicta non procedere, quando collatio beneficii pertinet simul ad Episcopum, & Capitulum, tunc enim, Sede vacante, Capitulum potest illud conferre: sic habetur in *cap. 1. in prin. ne Sede vacante. lib. 6. Affirmant Panorm. in cap. 2. num. 4. eod. tit. Nauarr. lib. 2. consil. tit. 5. de praedicti consil. 20. Molin. tractat. 5. de Iustit. disp. 11. num. 13. & alij communiter. Ex quo sequitur, a fortiori, posse illorum significationes recipere, ut omnes concedunt. Similiter succedit Capitulum in potestate praesentandi, vel eligendi ad aliquod beneficium, quoties ad utrumque spectaret electio, vel praesentatio, ut docet Lopus, quem sequuntur Geminianus & Franchus in *cap. vnic. de maiortate & obedient. lib. 6.**

6. Nota tertio, supradicta intelligenda esse tantum de collatione libera, non autem de confirmatione electi ad beneficium, & institutione praesentati, quae sunt necessariae ac debita. Nam Capitulum, Sede vacante, potest electos confirmare, *cap. cum olim, de maiortate & obedient. & instituit praesentatos ad beneficia a patronis, cap. 1. de infra. lib. 6. sic Panormitanus in dicto cap. 1. Rebuffus in prin. tit. de deuolut. num. 87. & sequent. Panvinus de potestate Capituli, part. 2. princip. quest. 4. Molin. tract. 5. de Iustit. 1. disp. 11. num. 13. Garz. alijs relatis tom. 1. de benefic. part. 5. cap. 7. num. 54. Ex quo fit, quod si electio ad aliquam dignitatem, vel beneficium spectaret ad Capitulum, & confirmatio ad Episcopum, Capitulum, Sede vacante, duplici iure fungetur, argum. text. in *leg. si consil. ff. de adoption. nam eligit iure capitulari, & confirmabit iure Episcopali, sic gloss. & DD. in cap. prouide. de suppl. negl. Praelat.**

Et omnia superius dicta confirmat Baunius in *Tract. anor. al. tom. 1. tract. 11. quest. 21. in fine.*

RESOL. LI.

An Capitulum Sede vacante possit facere Collationem beneficiorum necessariam, ut quando, v. g. Collatio est debita certis personis? Ex p. 3. tr. 4. Ref. 16.

§. 1. Negatiuam sententiam docet Cortalsius de *benefic. part. 1. cap. 7. num. 5. & part. 4. cap. 4. num. 37. negat. Ratio eius est, quia hic casus non reperitur in iure expressus, sicut expressus est casus de confirmatione electi, & institutione praesentati in collatione beneficiorum nunquam succedit Capitulum, Sede vacante, nisi quando in iure est expressum inuenitur, ut patet ex *cap. 2. ne**

Sede vacante, ibi, Cum nusquam inueniatur casum in iure, quod Capitulum, vacante Sede, fungatur, v. g. Episcopi in collationibus praebendarum.

2. Verum mordicus affirmatiuam sententiam tenet Garzias de *beneficis tom. 1. part. 7. cap. 5. num. 55. & sequent. Quia ideo Capitulum, Sede vacante, potest facere confirmationem, electi, & institutionem praesentati, quia sunt necessariae, debita, ut docent Panormitanus in *cap. cum olim, de maiortate & obedientia, & cap. 2. num. 6. ne Sede vacante, Archidiaconus Geminianus & Franchus in cap. 1. de institut. lib. 6. Milis in reperit. verb. Capitulum Sede vacante potest, in dicto §. sequent. versic. Sed contrarium dicit. Sed haec ratio militat in omni collatione necessaria, & debita; ergo idem ius debet esse, l. illud. ff. ad legem Aquil. Vide dictum Garziam, qui conatur respondere ad omnia argumenta Cortalsij.**

3. Sed opinioem Garziae non approbat Merolla tom. 3. *disp. 7. cap. 7. dub. 1. num. 107. asserit enim nimium extendere potestatem Capituli, Sede vacante, circa collationem beneficiorum; nam si Capitulum posset conferre beneficia, debita, ex functione, certo generi personarum, v. g. consanguineis fundatoris, quasi talis collatio censetur necessaria; eadem ratione posset conferre beneficia, debita, ex fundatione, concubibus fundatoris, puta Neapolitanis, & similiter, si aliqua beneficia essent fundata, ut dentur tantum regnicolis, & non exteris, posset ea conferre Capitulum; & ita omnia beneficia Hispaniae, Capitulum, Sede vacante, posset conferre, quia sunt debita tantum illi nationi, & non exteris. Haec autem omnia sunt absurda, & contra communem praxim, cum valde improptie dicantur huiusmodi beneficia collationis necessariae.*

4. Ex his colligitur, Capitulum, Sede vacante, eas solas collationes necessarias facere posse, in quibus nulla exerceret liberalitas, ut quando beneficia, ex eorum institutione, sunt debita certis, ac determinatis personis, ut primogenito seniori familiae fundatoris. Vel quando ratione optionis, debetur beneficium antiquiori optanti. Et de hac collatione necessaria, intelligendi sunt Doctores, quos refert pro se Garzia, dicentes, Capitulum posse facere collationes beneficiorum necessarias.

5. Nec obstat exemplum, quod asserit Garzia de patrono praesentante plures Clericos, aequè idoneos; in quo casu, potest Capitulum, Sede vacante, instituire quem maluerit ex praesentatis, & sic exercere liberalitatem. Nam hoc prouenit per accidens, ex tacita concessione, ac permissione ipsius patroni, qui cum potuisset praesentare vnum tantum, praesentauit plures, dando ipsi Capitulo potestatem eligendi, & instituendi quem voluerit ex Clericis praesentatis. Sicut etiam posset patronus neminem praesentare, sed dare facultatem Capitulo, ut conferat beneficium, cui voluerit. Et haec omnia docet Merolla loco citato, qui n. 109. asserit, suam opinionem Gonzalez ad *regul. 8. Cancellar. gloss. 9. §. 1. n. 77. & gloss. 45. num. 19. dicens, ita fuisse resolutum in vna Calaguitana beneficij de Archaya 26. Aprilis coram D. Corduba, vbi fuit dictum, non potuisse Capitulum, Sede vacante, conferre quaedam beneficia filiis patrimonialibus. Et in alia Vlixbonen. Prioratus de Caranza, coram D. Seraphino, demense Nouembris, anno 1603, vbi fuit dictum esse liberam collationem, quamuis sit facienda vni ex personis de certo Collegio, & per consequens non potest fieri a Capitulo, Sede vacante.*